

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6456

Autre(s) référence(s) : Bates 29 / ARTEM 1982 / Round 1190

Auteur(s) : Jean II d'Ivry, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Bellême, Saint-Léonard, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (collégiale)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1070-1079]

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice relatant un différend survenu entre Roger de Montgomery et les chanoines de Saint-Léonard, d'une part, et l'évêque Robert de Sées, d'autre part, sur l'offrande des chanoines et résolu par l'archevêque Jean de Rouen en présence de Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, et la reine Mathilde.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Grands rôles des échiquiers de Normandie*, Paris/Caen/Rouen, Derache/Hardel/Le Brument (MSAN ; 15, 16), 1845-1852, 2 vol., t. 1, p. 196.
- b. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 3, 4.
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 29, p. 183-187.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1190. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 118.

Dissertation critique

1070 - 1079, et probablement 1071, 12 avril - 1079 : datation proposée par D. Bates.

Texte établi d'après c

(Version I)

Quia memoria hominum sicut homines cito pertransit, quedam facta est eorum quæ cum memoria fugiunt, necesse est scribendo retineri. Unde nos huic æcclesiæ providentes, quod volumus successores non nescire carte huic decrivimus inserere. Contigit itaque cuidam festivitati sancti Leonardi comitem Rogerium interesse, et cum eo nonnullos utriusque ordinis non mediocris fame quos cum se invitaverat ad sui honorem et huius æcclesiæ

exaltationem, ex quibus Sagiensis pontifex Rob(er)tus ea die nostro et comitis hortatu missam cantavit. Cuius etiam missæ offerturam sibi per cupiditatem retinere temptavit. Quod nos videntes et velut monstrum exhorrentes, a quodam eius clerico cui eam reservandam commiserat, vi et non sine contumelia offerturam illam recepimus. Iratus propter hoc episcopus æcclesiam et nos excommunicare se dixit. Quo facto, post clamorem quam fecit comes Rogerius de Sagiensi episcopo ad Iohannem Rothomagensem archiepiscopum, die constitute ex inde placitaturi devenimus Rothomagum. Ibi in palatio et in presentia regis et reginæ Anglorum, comes Rogerius conquestus est super Sagiensi episcopo quod æcclesiam sancti Leonardi sine causa excommunicare presumpsisset. At contra episcopus nos inculpabat quod manum quam sanam et integram habuisset habendo offerturas per totum episcopatum suum, nos ei accidissemus auferendo ab eo nostram offerturam. Ad hæc rex et regina scicitati sunt a comite Rogerio de statu ipsius æcclesiæ. Comes vero et nos qui aderamus dilucide enarravimus quomodo Guillelmus de Belismo supradictam æcclesiam ob peccatorum suorum veniam ædificasset, et quomodo eam ex precepto beatæ memoriæ papæ Leonis liberam et solutam fecisset et quod a die dedicatione is eiusdem, archiepiscopus sive episcopus nullam omnino in ea consuetudinem habuisset, nec eam ullo modo excommunicare potuisset. Affuerunt etiam antiquissimi homines qui hæc viderant et audierant, parati probare secundum iudicium regis quod nos ædisseramus. His auditis rex et regina iusserunt Ioh(ann)em archiepiscopum et Rogerium de Bellomonte et plures alios barones ut, secundum quod audierant, facerent inde iudicium. Et illi, abito consilio, iudicaverunt æcclesiam quæ tanta auctoritate et tot tantorumque procerum confirmatione liberata esset, et tam longo tempore in liberalitate perseverasset debere, deinceps in perpetuum sic permanere, episcopum iniuriam fecisse, non solum comiti Rogerio verum etiam regi de quo ipse æcclesiam tenebat. Dixit eciam Ioh(an)ne)s archiepiscopus quasdam æcclesias in diocesi sua esse in quibus ipse nullam omnino consuetudinem haberet. Hoc pacto Sagiensis episcopus Rotbertus emendavit rectum faciendo regi et comiti Rogerio, iniuriam quam eis fecerat predictam æcclesiam invadendo, diffinitum est etiam ibi ut si archiepiscopus sive episcopus eam amplius inquietare presumeret, apostolica et regia auctoritate a consortio fidelium usque ad satisfactionem alienus existeret. Hoc viderunt Guillelmus rex et Mahildis regina, Joh(an)ne)s Rothomagensis archiepiscopus, Rotbertus Sagiensis episcopus, comes Rogerius, Rob(er)t(us) de Belismo, Rogerius de Bello monte, Warinus curvisus, Guillelmus et Basuinus canonici, Amellandus et multi alii.

(Version II)

Propter aliquorum improbitates episcoporum qui sanctæ matris æcclesiæ libertatem adnullare cupientes, clericos vel monachos in sinu ipsius æcclesiæ Domino militantes infestare non metuunt, placuit nocioni posteriorum literis mandere quod Robertus Sagiensis æcclesiæ pontifex tentavit æcclesiæ sancti Leonardi de Belismo consuetudines quas non debuit inponere. Eo namque tempore quo dominus Rotgerius de Monte gomerici iure hereditario Belismum regebat, accidit ut supradictus episcopus sicut et alii, Ernaudus scilicet Cenomannensis et episcopus de Lisoiis et plures abbates ad festivitatem sancti Leonardi venirent. Et quia mos episcoporum est in festivis diebus missam celebrare, placuit ut Sagiensis episcopus, in cuius diocesi ipsa æcclesia erat, quamvis libera et ab omni episcopali sive laicali consuetudine absoluta, missam cantaret. Qui avaricia victus temptavit sibi retinere eiusdem oblationes missæ quod nullus ante eum episcopus fecerat. Sed canonici qui tunc aderant et namque hoc viderant privilegium suum infringere non patientes vellet nollet episcopus, acceperunt sibi oblationem sicut consuetudo eis fuerat. Qua de re idem episcopus commotus adversus canonicos in iram convocavit eos inde ad placitum. Illi vero conductu Rogeri comitis venerunt Rotomagum ante regem W(illelmum) et reginam Anglorum. Qui diligenter rem discucientes interrogaverunt Sagiensis episcopum quid in æcclesia sancti Leonardi quereret. Ille autem sicut in omnibus suæ diocesis æcclesis dixit in ea se habere. Canonici vero privilegium suum ostenderunt et antiquos homines secum adduxerunt qui ipsam æcclesiam ad dedicationem ita regi Gallie Rotberto et Normannorum comiti R(icardo) et Sagiensi episcopo Ricardo et multis cum eisdem episcopis et abbatibus et comitibus et baronibus franchire et ordinare viderunt et audierunt ut nullus christianus in ea aliquam consuetudinem haberet. Inter quos Ioh(an)ne)s Rotomagensis archiepiscopus et Rotgerius de Bello monte iussu regis fecerunt iudicium, et dixerunt quia quod rex et principes qui ipsam terram cum eo gubernabant ordinaverunt et statuerunt non posse infringi, presertim cum ipse archiepiscopus multas in suo episcopatu ecclesias haberet in quibus nichil accipiebat. Huic iudicio consenserunt rex et regina et qui cum eis erant, Rotgerius de Monte gomerici, Rotbertus de Veteri ponte, W(illelmus) de Firmitate, Mathelinus de Anxe, Basuinus et Wilelmus canonici, Guarinus curvis, Amerlandus et multi alii quorum nomina propter proxilitatem tacuimus.